



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Canon VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)



nuarii ejusdem anni §. At hujusmodi, coram Eminentissimo Cardinali de la Tremoille, & in Reatina Fideicommissi de Vincentinis 14. Martii 1701. §. Neque, coram Card. Scotto.

Cujus relationis vis minùs rectè declinari contendebatur sub respectu diversitatis Personarum, quæ invitantur in testamento, ab illis, quæ vocatæ noscuntur in instrumento foundationis, cum in isto jus nominandi ad Cappellaniam relictum fuerit Hieronymo filio Lucæ, quando in testamento Lucas reperitur hæres scriptus in omnibus bonis, & in universa hæreditate, qui vocatus non legebatur in fundatione Cappellaniæ: Quandoquidem, licèt Lucas non fuerit invitatus ad jus nominandi in fundatione Cappellaniæ, non idcirco argui rectè poterat non fuisse ei relictum juspatronatus, nec fuisse in fundatione vocatum; Fundator enim declaravit velle Cappellaniam erigere =

Per sè, sui Eredi, e Successori di qualsivoglia sorte in infinitum &c. della Casata, e Famiglia Cia in perpetuo = Unde, cum sit extra controversiam Lucam fuisse primum hæredem institutum in testamento, fit indè consequens fuisse itidem vocatum ad dictum juspatronatus, quod si jus nominandi fuit relictum Hieronymo filio Lucæ, hoc nil aliud infert, nisi quod fundator distinxerit juspatronatus à jure nominandi, quod tamquam effectus juspatronatus benè stare potest penès unum de familia, quantumvis juspatronatus insit penès hæredes ejusdem familiæ, ut in specie advertunt *Vivian. de jurepatronat. lib. 1. cap. 3. n. 31. & lib. 5. cap. 2. n. 3. Gonzal. ad regul. Cancell. gloss. 18. num. 92. Rot. coram Seraphin. dec. 456. n. 3. & 4. & in recent. dec. 809. num. 13. par. 18. & in Alexanen. Beneficii 11. Aprilis 1712. §. fin. cor. R. P. D. meo Aldrovando.*

Et ita utraque &c.

## C A N O N VI.

### CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXIII. Cap. XVIII.

**C**UM Adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, prona sit ad Mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad Pietatem, & Religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfectè, ac sinè maximo, ac singulari propemodum Dei Omnipotentis Auxilio Disciplina Ecclesiastica perseveret, Sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque majores Ecclesiæ pro modo facultatum, & Diœcesis amplitudine, certum Puerorum ipsius Civitatis, & Diœcesis, vel ejus Provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc propè ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis Disciplinis instituere teneant; In hoc verò Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, & scribere competenter noverint, & quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Ec-

cle-



clēſiaſticiſ Miniſteriis perpetuò inſervituros; Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudiū præſeferant Deo, & Eccleſiæ inſerviendi. Hos Pueros Epifcopus in tot Claſſes quot ei videbitur diſiſos, juxta eorum annum, ætatem, ac in Diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim, cùm ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet, partim in Collegio erudiendos retinebit, alioſque in locum educatorum ſufficiet, itaut hoc Collegium Dei Miniſtrorum perpetuum Seminarium ſit. Ut verò in eadem Diſciplina Eccleſiaſtica commodius inſtituantur, Tonſura ſtatim, atque habitu clericali ſemper utentur, Grammatices, Cantus, compūti Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum Artium Diſciplinam diſcent, Sacram Scripturam, Libros Eccleſiaſticos, Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac Cæremoniarum Formas ediſcent. Curet Epifcopus, ut ſingulis diebus Miſſæ Sacrificio interſint, ac ſaltèm ſingulis Menſibus confiteantur peccata, & juxta Confefſoris Judicium ſumant Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Cathedrali, & aliis locis Eccleſiæ diebus Feſtis inſerviant. Quæ omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epifcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum, & graviorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eaque ut ſemper conſerventur, ſæpiùs viſitando operam dabunt. Dyſcolos, & incorrigibiles, ac malorum morum Seminatoreſ acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta, auferentes: quæcumque ad conſervandum, & augendum, tam pium, & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt; Et quia ad Collegii Fabricam inſtituendam, & ad mercedem Præceptoribus, & Miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem, & ad alioſ ſumptus certi redditus erunt neceſſarii ultra ea, quæ ad inſtituendos, vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis, & locis deſtinata,



quæ & ipso huic Seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur, iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcumque Dignitatum, Personatum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, & Prioratum, cujuscumque Ordinis, etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem juxta Constitutionem, Concilii Viennensis, quæ incipit, *Quia contingit*, & Beneficiorum quorumcumque etiam Regularium, etiam si juris patronatus cujuscumque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius Diocesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Hospitalibus, & aliis quibusvis locis Piis etiam exemptis, annexa, & ex Fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis Ecclesiasticis redditibus, seu Proventibus, etiam aliorum Collegiorum, in quibus tamen Seminaria discipulorum, vel docentium ad Commune Ecclesiæ bonum promovendum actu non habentur, hæc enim exempta esse voluit, præterquam ratione reddituum, qui superflui essent ultra convenientem, ipsorum Seminariorum sustentationem, seu Corporum, vel Confraternitatum, quæ in nonnullis locis Scholæ appellantur, & omnium Monasteriorum non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad Laicos, ex quibus subsidia Ecclesiastica solvi solent, & milites cujuscumque militiæ, aut ordinis, pertinentibus, Fratibus Sancti Joannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent, & eam portionem sic detractam, nec non Beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis, & Dignitatis fuerint, vel etiam præstimonialia, vel præstimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem, sine Cultus Divini, & illa obtinentium præjudicio, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt, quod locum



habeat etiam si Beneficia sint reservata, vel affecta, nec per resignationem ipsorum Beneficiorum, uniones, & applicationes suspendi, vel nullo modo impediri possint, sed omnino quacumque vacatione, etiam si in Curia effectum suum fortiantur, & quacumque Constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem solvendam Beneficiorum, Dignitatum, Personarum, & omnium, & singulorum supra commemoratorum possessores, non modò pro se, sed pro Pensionibus, quas aliis forsàn ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata, quid quid pro dictis Pensionibus illis erit solvendum, ab Episcopo Loci per Censuras Ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio Brachii Sæcularis, quibusvis quoad omnia, & singula supradicta Privilegiis, Exemptionibus, etiam si specialem derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, quavis Appellatione, & Allegatione, quæ Executionem impediatur, non obstantibus. Succedente verò casu, quo per uniones effectum suum fortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc Portio ex singulis Beneficiis, ut supra detracta, & incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur; Quod si Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum Prælati in hac Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam Portionem solvere detrectaverint, Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopus, & Superiores Synodus Provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat, & ut quamprimum hoc sanctum, & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, studiosè curabit; Rationem autem reddituum hujus Seminarii Episcopus annis singulis, accipiat, præsentibus duobus à Capitulo, totidem à Clero Civitatis deputatis.



## COMMENTARIUM

EX hoc Canone sequens ad materiam deducitur conclusio .

EPISCOPUS IN SUA DIOECESI PROPE ECCLESIAM CATHEDRALEM, VEL IN ALIO LOCO CONVENIENTI INSTI-  
TUERE DEBET SEMINARIUM, PRO CUJUS MANUTENTIONE, ET NECESSARIA SUSTENTATIONE DETRAHERE  
POTEST CUM CONSILIO DEPUTATORUM EX FRUCTIBUS BENEFICIORUM JURISPATRONATUS PORTIONEM ALI-  
QUAM, ET ILLAM SIC DETRACTAM APPLICARE, ET INCORPORARE SEMINARIO = Quam conclusio-  
nem probant etiam *Ventrigl. in prax. benef. par. 2. annot. 29. §. unic. num. 12. & 24. Frass. de Patronat. Reg. tom. 2. cap. 61. n. 25. Crispin. de la Vista Pastoral. par. 2. §. 31. , & gene-  
raliter in omnibus beneficiis sequuntur Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 77. num. 1. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 25. n. 3. Pignattell. consult. 58. num. 13. tom. 3. & consult. 13. num. 10. tom. 8. & consult. 81. n. 11. tom. 9. Monacell. formul. legal. 10. tit. 16. num. 22. par. 2. R.P.D. meus Petra in Comment. ad Constit. Apostolic. II. Urbani VI. num. 28. in fin. tom. 4. pag. 347. Rot. decis. 491. n. 16. coram Peutinger.*

I Animadvertens Sacrum Concilium, quàm sit utilis Republicæ Litterarum cognitio, li-  
beraliumque artium disciplina, insequendo vestigia Textus in *Can. necessaria 12. q. 1.*,  
ubi demandatur constitui Claustra Clericorum juxta Ecclesiam, ibi = *Necessaria etenim  
res exigit, ut juxta Ecclesiam Claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasti-  
cis vacent. Itaque omnibus unum sit Refectorium, ac Dormitorium, seu cetera Officina ad  
usus Clericorum necessaria; Ministri verò post Episcopum super eos eligantur, quorum vita,  
atque doctrina illos potius exornet, quàm debonestet = Ac Textus in cap. 1. de Magistris,*  
ubi præcipitur providendam esse unamquamque Ecclesiam Cathedralē de Magistro,  
qui pauperes Clericos gratis doceat; prudentissimè, ac optima ratione injunxit hic  
omnibus Episcopis, & Archiepiscopis erigere in propriis Diocæsis Seminariū pro  
bona, & exemplari educatione, & eruditione Adolescentium, pro bono publico Diocæ-  
sum, & Ecclesiarum servitio, ac pro dicto cultus augmento; Præcipitque ibi introdu-  
cere Juvenes, & Adolescentes tam Pauperes, quàm divites, annorum saltè duodecim,  
de legitimo matrimonio natos, Clericali Tonsura initiatos, bonæ famæ, & indolis spem  
eos Ecclesiasticis Ministeriis perpetuò inservituros afferentis, qui addiscere debeant  
Grammaticam, Cantus, Computos Ecclesiasticos, aliarumque bonarum artium discipli-  
nam, frequentare Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ saltè singulis mensibus, quo-  
tidie Sacrificium Missæ audire, & diebus Festis Cathedrali inservire, jussitque etiam ibi  
introducere Rectorem, Magistros, Præfectos, qui regere, docere, ac vigilantiam habere  
debeant super dictis Juvenibus, & Adolescentibus. Pro manutentione verò, sustenta-  
tione, ac conservatione hujusmodi Seminarii permittit Episcopis inter cetera taxare  
etiam Beneficia jurispatronatus, vel unire beneficia simplicia eidem Seminario, per cen-  
suras Ecclesiasticas, aut alia juris remedia cogendo Rectores beneficiorum contribuere  
Seminario in casu renitentiæ. Cordi igitur sit omnibus Episcopis hoc conciliare decre-  
tum in propriis Diocæsis exequi, ut sic Spirituales Operarii in vinea Domini idonei,  
beneque instructi haberi valeant.

Quoad hanc Conclusionem sequentes examinantur Casus .



## ARGUMENTUM.

Erecto per Episcopum Seminario pro Clericis Diœcesis, & pro Nobilibus, an in illud introduci possint Clerici tam Civitatenfes, quàm Territoriales, & an ad probandam Nobilitatem requisitam, concedi possit uni ex Collegialibus facultas cogendi Testes renuentes se subijcere examini, per censuras Ecclesiasticas.

## SUMMARIUM.

- 1 Erecto Seminario pro Clericis Diœcesis A, non solum in eo recipi possunt Clerici Civitatenfes, sed etiam Territoriales ejusdem Diœcesis.
- 2 Clerici in Seminario admissi examinari debent ab Episcopo; Amplia ut ibi.
- 3 Rector Regularis Seminarii administrare debet redditus illius cum participatione, & consensu Episcopi, & huic de administratis rationem reddere.
- 4 Episcopus, vel Vicarius Capitularis sede vacante cum assistentia Deputatorum visitare potest Seminarium, quoties voluerit.
- 5 Referuntur motiva suadentia fore concedendam Collegiali facultatem cogendi per censuras Testes examinandos super puritate sanguinis Juvenis in Seminarium introducendi, in hypotesi, in qua nolint se examini subijcere. & num. 6. & 7.
- 8 Facultas cogendi per censuras Testes renuentes se subijcere dicto examini fuit denegata Collegiali à S. Congregatione Concilii.
- 9 Licentia habendi proprium Oratorium in Collegio concedi solet, per S. Congregationem Concilii.

## CASUS I.

Rectum fuit Seminarium à quodam Episcopo, illudque commissum fuit curæ quorundam Patrum, inter cetera disposuit idem Episcopus, quod in eo recipiantur, & admittantur Clerici Diœcesis A, qui sint Nobiles, qui teneantur probare coram Ordinario puritatem suæ originis absque ulla macula Maurorum, Judæorum, vel Hæreticorum, & insuper quod de hac eadem Nobilitate, & puritate sanguinis, unus ex Collegialibus à Collegio electus inquirere debeat, examinando Testes. Introductus, ac admissus fuit in dicto Seminario quidam Clericus Territorialis præfatæ Diœcesis A, qui fecit coram Ordinario probationem puritatis sui sanguinis; Collegialis verò à Collegio electus volens facere secundam probationem de hac eadem puritate; id exequi minimè potuit, quia Testes coram ipso inducti se subijcere examini renuerunt. Hinc quæritur.

Primo: An præfatus Clericus Territorialis sit in hoc casu legitime admissus, & introductus in Seminarium?

Secundò; An Collegiali debenti facere supradictam secundam probationem super puritate sanguinis concedi debeat facultas cogendi Testes, se subijcere examini renuentes per censuras Ecclesiasticas?

- I Quoad primum sentio præfatum Clericum Territorialem, prævia probatione puritatis sui sanguinis fuisse legitime admissum, & introductum in hoc Seminarium; Quin obstat, quod ipse non sit de Civitate, quia erecto Seminario pro Clericis Diœcesis A, non solum in eo recipi possunt Clerici Civitatenfes, sed etiam Territoriales ejusdem Diœcesis; Card. de Luc. de Jurisdic. disc. 97. sub num. 4. Capp. Galeott. controv. 20. num. 5. & seqq. lib. 2. Rot. decis. 188. num. 3. & decis. 327. num. 12. par. 17. rec. & in similibus terminis resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in Romana, seu Nonantulana, 11. Septembris 1717. ubi demandata institutione Collegii Matthæi in Urbe, per bo. me. Card. Matthæjum, tunc Abbatia Nonantulæ possessorem cum onere = Quod si adfuerint aliqui idonei, qui recipi instarent de dicta Abbatia Nonantulæ, recipian-



cipiantur usque ad numerum duorum in dicto Collegio = Cùm in Bulla Pauli V. super erectione dicti Collegii hæc habeantur = Ita tamen ut unus, vel duo ex Nonantula, & unus ex Lamularum Terris Nullius Diocesis Provinciarum Bononien. & Urbinaten. respectivè oriundi, si qui adessent &c. Romanis præferentur, dummodo idonei, & acceptabiles forent = Hinc Promotor Fiscalis cum consona Testamento Bullæ dispositio non videatur, supplicavit Sanctissimo, ut declararet, admittendos esse in dicto Collegio non solum Populares Terræ Nonantulæ, sed rotius Territorii ad Abbatiam spectantis; Unde proposito dubio = An ex testamento Cardinalis Matthæi debeant admitti in Collegio ab ipso instituendo Alumni ex Terra tantum Nonantula, seu potius ex dicta Terra, & quocumque alio loco de Territorio Abbatia Nonantula subjecto = Responsum fuit = Negativè quo ad primam, & affirmativè quo ad secundam partem =

- 2 Qui Clerici sive Territoriales, sive Civitatenenses in Seminario admissi, & recepti examinari, & approbari debent ab Episcopo, etiam si eorum nominatio spectet ad Rectorem Regularem, qui exigere, & administrare debet redditus Seminarii cum participatione, & consensu Episcopi, & huic de administratis rationem
- 4 reddere; Ac Episcopus nec non etiam Vicarius Capitularis sede vacante quoties voluerit, cum assistentia Deputatorum visitare potest Seminarium tam in spiritualibus, quàm temporalibus, ut rescripsit eadem S. Congregatio in Viglevanen. Seminarii 27. Januarii 1714. ubi erecto per Episcopum Seminario, ac commisso curæ Patrum Congregationis Somaschæ, cum onere, quod perpetuo in eo alerentur viginti Alumni, qui essent ad cantum habiles, laudandi à Cantoribus, & Mansionariis Cathedralis, eorumque duodecim nominari deberent à successoribus Episcopis, reliqui verò octo à Rectoribus pro tempore ejusdem Congregationis, disputata fuerunt infrascripta dubia. I. An omnes Alumni Seminarii sint eligendi per Episcopum? Et quatenus negativè. II. An illi octo nominandi per P. Rectorem ejusdem Seminarii indigeant examine, & approbatione Episcopi, ut admittantur? in casu &c. III. An exactio reddituum assignatorum pro

alimonia Alumnorum spectet privativè ad Episcopum, illorumque administratio ad eundem Episcopum cum consilio Deputatorum Seminarii, excluso Rectore Seminarii? Et quatenus negativè. IV. An saltèm administratio, & exactio faciendæ sit per dictum Rectorem, cum participatione tamen, consensu, & mandato Episcopi pro tempore, in casu &c. V. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de administratis Episcopo cum assistentia Deputatorum Seminarii? in casu &c. VI. An liceat Episcopo cum assistentia, ut supra, quoties voluerit, visitare Seminarium tam in spiritualibus, quàm in temporalibus? in casu &c. VII. An idem cum assistentia, ut supra, licitum sit Capitulo, seu Vicario Capitulari, sede vacante? in casu &c. VIII. An Magistri missi à Congregatione Somaschensi ad servitium Seminarii pro Grammatica, Rhetorica, & Cælibus Conscientia, debeant examinari, & approbari ab Episcopo in casu &c. IX. An hoc ipsum tempore sedis vacantis spectet ad Capitulum, ut supra? in casu &c. X. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de annuis libris 3256. pro toto tempore, quo in Seminario non fuerunt Alumni, & cui, ac quibus remediis cogi possint? in casu &c. XI. An iidem teneantur restituere pro eodem tempore, quo Seminarium remansit clausum, proventus pro eorum manutentione, & salario assignatos? in casu &c. XII. An PP. Somaschensibus, ultra præfixum numerum viginti Alumnorum liceat in Seminario recipere alios Convictores de aliena Diocesi? in casu &c. = Quibus rescriptum fuit, ad primum Negativè, Ad II. Censuit indigere approbatione Episcopi; Ad III. Negativè, Ad IV. V. VI. & VII. Affirmativè, Ad VIII. & IX. Negativè; Ad X. Affirmativè Episcopo, ac per eum cogendos esse juris remediis; Ad XI. Negativè, Ad XII. Affirmativè de licentia Episcopi.

Descendendo autem ad secundum dubium, plura motiva ab R.P.D. meo Lambertino S. Congregationis Concilii Secretario doctissime in folio excitata in una Bononien., de qua infra, suadent dicto Collegiali esse concedendam facultatem cogendi per censuras Ecclesiasticas Testes se subicere examini renuentes, ad effectum faciendi secundam probationem super puritate sanguinis ejus, qui fuit admissus, & introductus in hujusmodi Seminarium.



Primum est, quod officium Testes examinandi inutile quodammodo videtur, & frustratorium si eo fungens officio facultatem non habet Testes cogendi, in hypothesis, in qua recusent se examini subijcere, cumque censura sit subsidiarium pro coactione remedium, hinc sequitur decens esse, & maximopere conveniens, quod à Summo Pontifice detur Collegiali facultas Testes examinandos cogendi per censuras, in hypothesis, in qua nolint se examini subijcere, & in qua aliud aptius non suppetat remedium.

6 Secundum est, quod sæpè sæpius in praxi occurrit, ut in casu renitentia Testium examinandorum, vel non possit haberi recursus ad Ordinarium, vel recursus ad eandem sit inutilis, tum quia Testes aliquando degunt in Locis ab eo loco admodum remotis, in quo degit Ordinarius, tum quia sæpius Ordinarii reculant assistentiam, & opem præstare Collegiali examinanti, ut examinare valeat Testes, qui se nolunt examini subijcere, & tandem quia inter hos Testes sæpè sæpius aliqui reperiuntur, qui sunt ab Ordinarii jurisdictione exempti; Ad hæc ergo incommoda avertenda, videtur, ut Collegiali inquirenti detur modo prædicto facultas Testes per censuras cogendi.

7 Tertium est, quod consimilium concessionum non desunt exempla; Julius enim Tertius, Paulus Tertius, & Paulus Quartus concesserunt, ut ille, qui juxta sacra Toletana Ecclesiæ probationes recipere debet pro his, qui ad illam sunt admittendi, Testes cogere possit per censuras. Hoc ipsum fuit concessum à Clemente Octavo Collegio Majori de Alcalá, ut conficiens processum super qualitatibus Collegialium, Testes compellere possit per censuras, & pœnas Ecclesiasticas; Binæ tandem aliæ reperiuntur Urbani Octavi concessionem pro Collegio Vallisolitano S. Crucis, & pro Collegio Salamantino S. Bartholomæi; Unde non est cur Seminarium etiam supradictum non sit consimili privilegio decorandum.

8 Sed his omnibus minimè obstantibus placuit Sacræ Congregationi Concilii in dicta Bononien. 5. Junii 1717. & 21. Maji 1718. ubi simile dubium disputabatur, denegare præfato Collegiali hujusmodi

facultatem, eo præcipuè sub obtentu, quod inconveniens videbatur facultatem simplici Collegiali præstare erigendi Tribunal, & censuras decernendi, & eo, quia per spatium trium, & ultra sæculorum facta fuerat secunda probatio super puritate sanguinis absque eo, quod extraordinarium prædictum remedium censuratum fuerit existimatum necessarium.

Quæro hic, an dicto Seminario, seu Collegio concedi valeat licentia habendi Oratorium privatum, ut in eo Ministri, & Sacerdotes possint Missas celebrare, & Sacramenta administrare Convictoribus, Domesticis, atque Discipulis.

9 Respondeo affirmativè; Concedi namque solet hujusmodi licentia habendi Oratorium in Collegio, cum rectæ Juventutis educationi nimis conferre videatur, quod Alumni Collegiorum ad publicas non accedant Ecclesias, ut in illis Sacramenta recipiant; ut patet exemplis tum Seminarii Romani, tum Collegii Clementini, & Collegii Capranicensis, hic in Urbe, quæ gaudent privilegio Oratorii, in quo Patres Societatis JESU, & Patres Congregationis Somaschæ, ac Rectores, & Præfecti, qui respectivè præsident administrationi Seminarii, & Collegiorum, Missas quotidie celebrant, & in quibus Sacramenta administrantur Convictoribus, atque Domesticis; & uti similis licentia novissimè concessa fuit à S. Congregatione Concilii in *Sutrina Oratorii* 11. Junii 1718. ubi supplicantibus Presbyteris Doctrinæ Christianæ Terræ Roncilionis habere Oratorium in eorum Collegio, ubi nunc dum ipsi habitant unà cum Convictoribus, sed ad quod ulterius alii accedunt discipuli, quos erudiant, ad tramites proprii, quod profitentur, instituti, pro Missis ibi celebrandis, ac Sacramentis Convictoribus administrandis, fuit rescriptum, pro gratia Oratorii privati, cum conditione tamen, ut in illo non ministrarent Populo Sacramenta, non habeant Sepulturam, non retineant Campanas publicas, nec eleemosynas quærant pro Missis in eo celebrandis, & ulterius licere Presbyteris plures Missas qualibet die, & etiam Festis solemnioribus in dicto Oratorio celebrari, & Sacramenta in eo Convictoribus, Discipulis, & domesticis, hoc est illis, qui actu degunt in Collegio, & illi



illi inserviunt administrare, excepta  
Communione Paschali.

### ARGUMENTUM.

Episcopus, ut validè taxare possit  
beneficia Jurispatronatus ad effe-  
ctum contribuendi necessitatibus  
Seminarii, quæ requirantur? hu-  
jusmodi Taxa qualis, & quanta  
esse debeat? Et an Beneficia Ju-  
rispatronatus uniri valeant Semi-  
nario?

### SUMMARIUM.

- 1 Episcopus taxare potest beneficia Jurispa-  
tronatus pro necessitatibus Seminarii: &  
num. 3. Amplia, ut ibi; Limita, ut nu-  
mer. 2.
- 4 Enumerantur requisita necessaria ad hoc,  
ut Beneficia Patronalia validè taxari  
possint ab Episcopo. & num. 7. 8. 13. 15.  
& 16.
- 5 Cessante necessitate Seminarii, in totum,  
vel in partem; in totum, vel in partem  
cessare etiam debet Taxa beneficiorum.
- 6 Seminarium est reintegrandum ad fructus  
beneficiorum vigore Brevis Apostolici,  
alicui Collegio addictorum, si cesset ne-  
cessitas hujus Collegii.
- 8 Capitulum solvere debet Taxam Semina-  
rio, de fructibus Præbendarum, aut Be-  
neficiorum sibi unitorum, non verò de di-  
strubutionibus quotidianis, & aliis emo-  
lumentis incertis, & num. 9.
- 10 Episcopus constringere potest Abbatis, Prio-  
ratus cujuscumque Ordinis, & Hospita-  
lia ad contribuendum Seminario. Intel-  
lige ut ibi
- 11 Religio Hierosolymitana est exempta à  
contributione Seminarii.
- 12 Monachi Cælestini non tenentur contribue-  
re Seminario.
- 13 Cappellania merè laicalis, aut legatum  
Missarum, seu dotium non tenetur con-  
tribuere Seminario; & num. 14.
- 17 Taxa Beneficiorum Patronalium facta  
absque consilio Deputatorum non sustine-  
tur.
- 18 Quantitas Taxæ solvenda Seminario qua-  
lis esse debeat; & quo tempore sit solven-  
da? Vide num. 19.
- 20 Diminutis fructibus Beneficiorum jurispa-  
tronatus. Taxa etiam est proportionabi-  
liter diminuenda.
- 21 Beneficia jurispatronatus uniri non pos-  
sunt Seminario absque consensu Patrono-  
rum.
- 22 Alia Beneficia simplicia uniri possunt Semi-  
nario, sed pro illorum unionis validitate,  
multa requiruntur; & quæ sint hujusmo-  
di requisita. Vide ibi; & num. 24. 25.  
& 26.
- 27 Seminarium quando dicatur erectum?
- 28 Unita auctoritate Apostolica Abbatia spe-  
ctante ad Ecclesiam Collegiatam Semina-  
rio cum omnibus suis fructibus, redditibus,  
proventibus, juribus, adjacentiis,  
hujusmodi Unio, quid comprehendat? &  
an illius vigore regimen, & manutentio  
ejusdem Ecclesie, necnon deputatio Sa-  
crista, & aliorum Ministrorum, spectet  
ad Superiores Seminarii? Vide ibi, &  
num. 29. 30. 31. 43. 44. Amplia ut  
num. 41. & 42.
- 32 Unio quando dicatur subjectiva? Vide  
ibi, & num. 35.
- 33 Unio subjectiva, an, & quæ jura transfert  
in Ecclesiam, seu Seminarium, cui Be-  
neficium unitur. Vide ibi, num. 34. 39.  
& 40.
- 36 Declaratio nihil de novo addit, sed simpli-  
citer ostendit, quid per antea factum  
erat.
- 37 Erecta Abbatia in Collegiatam cum præ-  
servativa jurium Abbatie, non dimi-  
nuuntur in aliquo jura Abbatie, nec Ab-  
batum pro tempore jurisdictio.
- 38 Ut in mutatione status Ecclesie extin-  
guantur jurisdictio, & privilegia ali-  
cujus, quid requiritur?
- 45 Seminarium sentiens onus, & incommo-  
dum expensarum, & manutentionis Mini-  
strorum, sentire quoque debet commodum  
deputationis eorumdem.
- 46 Unita Abbatia spectante ad Ecclesiam Col-  
legiatam Seminario, hujus Superiores non  
tenentur eligere Ministros de gremio Ca-  
pituli.



## C A S U S II.

**E**Rexit quidam Episcopus in propria Diœcesi Seminarium, & pro ejus sustentatione taxavit inter cœtera duo Beneficia Patronalia in scutis sex; absque consilio Deputatorum, Rectores hujusmodi Beneficiorum renuunt summam taxatam Seminario contribuere, eo sumpto motivo, quod non fuerit per Episcopum in taxandis his Beneficiis adhibitum consilium Deputatorum; Quæritur an Taxa Seminarii in scutis sex super dictis Beneficiis in hoc casu sustineatur?

**1** Videtur respondendum affirmativè; potest namque Episcopus vigore facultatis sibi in hoc *Canone* tributæ taxare Beneficia jurispatronatus, & hæc tenentur contribuere Seminario, etiam si sint possessa à Prælati Domesticis Summi Pontificis juxta sensum S. Congregationis Concilii in *Cesenaten. Taxa Seminarii* 19. Aprilis 1704., dummodo in limine eorum foundationis secutæ post Concilium non fuerit de consensu Ordinarii apposita conditio, ut ad nulla onera teneantur; dum si talis conditio fuerit à Fundatore apposita, vel fuerit expressè cautum, quod neque Seminario contribuere debeant, tali casu Beneficia jurispatronatus, ad hujusmodi contributionem minimè tenerentur, ut resolutum fuisse à S. Congregatione Concilii testatur *Pignattell. consult. 81. nu. 137. tom. 9. Nicol. in floscul. verb. Seminarium num. 9.* Unde renuentes præfati Rectores solvere dictam Taxam Seminario, cogi possunt ab Episcopo ad illius solutionem per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia juxta præscriptum hujus *Canonis*.

**3** Hoc tamen non obstante contrarium sentio; Verùm quidem est, & nullatenus controvertitur, quod Episcopus taxare valeat Beneficia Patronalia pro alimonia Puerorum, mercede Ministrorum, & aliis expensis necessariis Seminarii, sed ut hoc per ipsum validè fieri possit plura requiruntur.

**4** Requiritur enim primò, necessitas Seminarii, seu quod hujus redditus non reperiantur, vel adeò tenues sint, ut non sufficiant pro expensis fabricæ, mercedis Ministrorum, alimoniæ Adolescentium,

*Pars V.*

& aliorum necessariorum, seclusa siquidem hujusmodi necessitate nulla Beneficia contribuere tenentur Seminario; imò si post taxata Beneficia Seminarium expiorum Fidelium dispositione: vel aliunde sufficienter dotetur, vel aliquid lucratur, tunc vel cessare debet in totum Taxa, vel quantum lucratum est; tantumdem de Taxa est demendum, ea ratione, quia Taxa imposita favore Seminarii de tempore, quo erat in paupertate, & indigebat subventionem, habet tacitam conditionem, donec superveniant divitiæ. *Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 29. S. unic. num. 41. Leoncill. de Privileg. paup. par. 2. priv. 338. nu. 5. Card. de Luc. de benef. disc. 88. nu. 2. Rot. decis. 635. num. 5. & 7. coram Cerro.*

**6** Imò ipsummet Seminarium est reintegrandum ad mediam decimam, & fructus Beneficiorum, quæ vigore Brevis Apostolici sint addicta alicui Collegio, si cesset necessitas hujus Collegii, & hoc aliunde acquisierit redditus sufficientes pro alimonia competentis numeri Religiosorum, ut desinivit S. Congregatio in *Meleolitana Seminarii* 31. Julii 1706. rescribens; *esse reintegrandum Seminarium ad Beneficia alias sibi unita, nec non ad contributiones, & emolumenta aliàs Ven. Collegio Societatis JESU Civitatis Valletæ à san. mem. Clemente VIII. applicata;* stante quod detractis omnibus detrahendis, adhuc supererant Collegio annua scuta 2365. pro alimonia duodecim Religiosorum sufficientia; quæ resolutio confirmata fuit 2. Octobris ejusdem anni, & 2. Augusti 1710. ad primum.

**7** Secundo requiritur, quod Episcopus taxet hujusmodi Beneficia, & cogat eorum Rectores contribuere Seminario cum consilio quatuor Deputatorum, duorum videlicet de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter verò ab ipso Capitulo sit electus, & duorum de Clero, quorum pariter alter ab Episcopo, & alter à Clero eligatur, *Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 29. S. unic. num. 13. Barbof. hic nu. 10. Pignattell. consult. 36. num. 9. tom. 8. Monacell. formular. legal. 2. tit. 12. num. 1. par. 1.*

**8** Tertio requiritur, quod Episcopus antequam taxet, & constringat Beneficia jurispatronatus contribuere Seminario debet primò, & ante alios ipse ex mensa

*Q* sua,



sua, taxam, & portionem solvere; deinde potest taxare Capitulum Cathedralis, & Beneficia eidem Capitulo unita ad effectum contribuendi Seminario, ut fuit resolutum ab eadem S. Congregatione Concilii in *Boven. Taxa Seminarii* 12. Januarii 1709. ubi taxatis per Episcopum Boven. Communeria, ut vocant, Capituli Cathedralis in ducatis decem, & binis Beneficiis sub invocationibus respectivè SS. Leonis, & Pantaleonis eidem Communeriæ unitis in ducatis sex cum dimidio, & contributis à præfato Capitulo summis taxatis Seminario per multi temporis spatium, cum requeret postea eas persolvere, sub motivo, quod redditus tum Communeriæ, tum dictorum Beneficiorum defervirent pro distributionibus quotidianis, è quibus Taxa non debetur Seminario proposita fuerunt infrascripta dubia, nimirum Primo = *An Taxa Seminarii in ducatis decem super Communeria Cathedralis Boven. sustineatur* = Secundo = *An eadem Taxa Seminariæ debeatur à Capitulo pro Beneficiis eidem unitis in casu &c.* = Quibus responsum fuit ad utrumque affirmativè.

- 9 Et quidem Capitulum debet solvere Taxam Seminarii de Præbendis, & beneficiis, non verò de distributionibus quotidianis, aut aliis emolumentis incertis provenientibus à legatis, & ex elemosynis Fidelium; Deindè debet restringere Abbatis, & Prioratus cujuscumque ordinis, dummodo Abbatia, non sit nullius, seu non habeat Territorium separatum, & habeat jura Episcopalia; Hospitalia, quæ dantur in titulum, vel administrationem si habeant Beneficia annexa, contribuere Seminario certam portionem ex eorum fructibus; Quibus omnibus prius taxatis, taxari potest beneficia juris patronatus etiam regularia, & etiam si sint unita Monasteriis Mendicantium, & Monialium, dummodò non spectent ad
- 10 Ordinem, seu Religionem Hierosolymitanam, quæ eximitur à Concilio ab hujusmodi contributione Seminarii; & Rectores eorum tenentur, & constringi possunt sub pœnis censurarum solvere taxam ei Seminario, in cujus Diœcesi situm est beneficium, etiam si hoc habeat bona in aliena Diœcesi. *Barbos. hic n. 12. & 17. cum seqq. & de offic. & potest. Episco-*

*pi par. 3. alleg. 77. n. 2. Ventrigl. in prax. par. 2. dicta annot. 29. §. 2. n. 14. cum seqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 25. n. 3. cum seqq. Pignattell. consult. 13. n. 1. & 8. tom. 8. & consul. 81. num. 26. & 94. tom. 9. Monacell. formul. legal. 1. tit. 12. par. 1. num. 3. R. P. D. meus Petra in Comment. ad Constit. Apostolic. secundam Urbani VI. num. 33. tom. 4. pag. 347. Monachi*

12 tamen Cœlestini non tenentur solvere contributionem Seminario, ut fuit sensus dictæ S. Congregationis in *Oppiden. Contributionis* 16. Novembris 1715., eo quia sunt exempti vigore Constitutionis Sancti Pii V., non obstante, quod S. M. Gregorius XIII. Pianam constitutionem moderatus fuerit, dum quoad Seminariorum contributionem, exemptio intacta remansit.

- 13 Quartò requiritur quod Beneficium, quod taxatur, sit Ecclesiasticum, seu erectum auctoritate Ordinarii, nam si sit Cappellania merè laicalis, vel amovibilis cum onere Missarum de jure patronatus, quæ improprie dicitur Beneficium, hæc non est taxanda, nec tenetur contribuere Seminario, quia habetur ad instar relictæ, seu legati pro celebratione Missarum, quod non comprehenditur sub dispositione hujus Canonis ad effectum solvendi, & contribuendi Seminario. *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 5. n. 5., & alii penes Panimoll. dec. 21. n. 1. & seqq., S. Congregatio Concilii in Sabinen. 26. Maji 1640. lib. dec. 16. pag. 380. ad secundum.* Sicuti
- 14 non sunt taxanda Legata Dotium favore Puellarum, aut alicujus pecuniarum subministrationis favore piæ Causæ, neque ab eis detrahenda aliqua summa pro sustentatione Seminarii, ut rescripsit sæpe dicta S. Congregatio Concilii in *Camerinen. Erektionis Seminarii* 15. Martii 1710., ubi institutis hæredibus universalibus à quodam pio Testatore Canonicis Collegiæ Ecclesiæ S. Urbani Terræ Apiri, inter cætera fecit sequens legatum = *L'altra entrata, che avanza dopo li beneficiati, voglio che serva per maritare tante zitelle, quante poteranno consumare detto avanzo, e quante ve n' entraranno, volendo, che si diano cinquanta scudi di moneta per ciascuna &c., e occorrendo, che qualche anno non vi fussero tante zitelle, che consumassero tutto il sopravanzo dell' entrate, che restasse dopo l'*
- augu-



augumento alli Canonici, e l'entrata delli Beneficiati, voglio, che di esso sopravanzo se ne faccino tre parti, una se ne dia alle Monache di S. Chiara, la seconda alle Monache di S. Maria Madalena; e la terza alla Compagnia del Santissimo Sacramento d' Apero, acciò si compri tanto grano per imprestare a' Poveri &c. Canonici autem dictæ Collegiæ attento, quod redditus hæreditarii assignati à Testatore pro maritandis Puellis pingues admodum, & exuberantes evaserint, ascendentes ad annuam summam scut. 1350. exorarunt, ut ex præfata summa detrahantur annua scuta 350. pro sustentatione Seminarii erigendi in dicta Terra Aperi, pro alendis, & religiosè educandis Pueris in Ecclesiastica Disciplina, quam sanè voluntate ejusdem Seminarii in eo oppido fundandi facti sunt habuisse ipsomet Testatorem, unde proposito dubio = An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum = Rescriptum fuit = Negativè, & servetur voluntas Testatoris =.

15 Quintò requiritur, quod in taxandis Beneficiis Jurispatronatus habeatur per Episcopum ratio alimentorum, quæ debentur Patrono, si sit inops, & aliorum onerum, hæc enim priùs deducenda sunt, & de eo, quod superest, facienda est contributio Seminarii. *Ventrigl. in prax. p. 2. annot. 29. §. 2. num. 39. Barbos. hic num. 14. Pignattell. consult. 81. n. 24. & 57. tom. 9. Monacell. formul. legal. 1. n. 7. & formul. 2. num. 5. tit. 12. par. 1.*

16 Sextò requiritur juxta *Pignattell. consult. 36. n. 2. & seqq. tom. 8.* quod Seminarium sit erectum, seu quod Alumni sint jam ibi introducti. Sed ego censeo hoc requisitum non esse necessarium ad effectum, ut Episcopus validè taxare possit beneficia Jurispatronatus, aut alia quæcumque beneficia, dum Concilium in hoc *Canone* dat facultatem Episcopis taxandi beneficia non solum pro alimentis Alumnorum, pro mercede Ministrorum, sed etiam pro Fabrica Seminarii instituenda, ibi = *Et quia ad Collegii Fabricam instituendam &c.* = & sic dat facultatem Episcopis taxandi beneficia Seminario adhuc non erecto, sed erigendo. Quin obstet decisio *S. Rotæ 836. par. 4. divers.* quia hæc loquitur de unione beneficiorum, quæ non debet fieri Seminario  
Pars V.

nondum erecto, ut dicemus infra, non verò de impositione Taxæ; Imò *Pignattellus* videtur sibi contrarius dum *consult. 81. n. 48. tom. 9.* approbare videtur resolutionem S. Congregationis Concilii in *Faventina*, ubi decretum fuit = *Episcopus pro fabrica Seminarii, vel pro instauratione Domus Seminarii potest taxam exigere, licet adhuc Juvenes non sint in illud introducti* =.

17 In casu præfati deficit secundum requisitum; quia Episcopus taxavit illa duo Beneficia Patronalia in scutis sex, nullatenus priùs adhibito Consilio Deputatorum, & consequenter hujusmodi taxa super dictis Beneficiis, in hoc casu sustineri non valet.

18 Quantitas verò Taxæ solvendæ Seminario, debet esse talis, qualem Episcopus fuit solitus exigere, & reperitur in possessione exigendi: etsi non adsit talis consuetudo; Episcopus Taxam constituere debet juxta qualitatem Beneficii, Loci, & Diocæsis ubertatem, nimirum usque ad decimam integram, vel plus medietate Decimarum, si expedire judicaverit; alibi enim summa duorum cum dimidio pro centenario sufficit, & alibi etiam quatuor approbatur. *Ventrigl. in prax. p. 2. annot. 29. §. 2. n. 39. Pignattell. consult. 81. n. 76. & 126. tom. 9. Nicol. in floscul. verb. Seminarium num. 3. Monacell. formul. legal. 12. tit. 12. num. 6. par. 1.*

19 Quæ Taxa sic ab Episcopo constituta, solvenda est Seminario juxta consuetudinem loci; in pluribus locis solvitur anticipatè de quadrimestri in quadrimestre, & in pluribus aliis locis de semestri in semestri. *Ventrigl. ubi supra n. 38. Barbos. hic num. 15. Pignattell. ubi supra num. 86.* Et si

20 contingat quod fructus Beneficiorum Jurispatronatus diminuatur, Taxa etiam est proportionabiliter ad diminutionem fructuum reducenda, ut resolutum fuisse à S. Congregatione Concilii in *Romana 26. Januarii 1697.* testatur *Bertachin. vot. decis. 118. n. 1.*

Duo media præscripsit in hoc *Canone* Concilium Tridentinum ad effectum subveniendi necessitatibus Seminarii, Taxam nimirum beneficiorum, & horum unionem. De Taxa jam superius vidimus, nunc videndum est de unione; an videlicet Beneficia Jurispatronatus, aut alia



- Beneficia simplicia uniri possunt Seminario, & quid requiratur pro eorum unionis validitate.
21. Quoad Beneficia Jurispatronatus respondeo, quod licet hæc ex supradictis taxari possint pro necessitatibus Seminarii, tamen huic uniri nequeunt sine consensu Patronorum. *Barbos. hic num. 34. & 37. Ventrigl. in prax. par. 2. dicta annot. 29. S. unic. num. 45. Rot. dec. 16. num. 7. & seq. coram Peutinger.*
22. Respectu verò aliorum Beneficiorum simplicium, illa quidem uniri possunt Seminario; sed pro eorum unionis validitate plura requiruntur; Primò namque requiritur necessitas Seminarii, si enim unio fieret causa commodioris sustentationis, vel amantitatis, & recreationis gratia, ipsa non sustineretur, *Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 29. n. 60. Ventrigl. ubi supra n. 42.*
23. Requiritur secundò, quod unio fiat cum Consilio quatuor supradictorum Deputatorum; *Turricell. de union. benef. cap. 9. num. 18. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 8. num. 22. Frances. de Eccles. Cathedral. cap. 28. num. 472. & seqq., ubi quòd Episcopus tenetur requirere, sed non sequi Consilium; unio aliter facta, quam sine eorumdem Deputatorum Consilio non valet Garz. de Benef. par. 12. cap. 2. §. 2. n. 190. Pax Jordan. Lucubrat. lib. 10. tit. 32. num. 29. Ricc. in prax. rer. Eccles. tom. 1. resol. 390. n. 3. Leo in Thesaur. for. Eccles. n. 2. cap. 31. num. 24. & seq. Barbos. de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 22. n. 33. Castropal. oper. moral. tom. 2. tract. 13. de Benef. disp. 6. punct. 12. §. 3. n. 15. Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 29. n. 60. Pignattell. cons. 77. per tot. tom. 1., ubi quod Consilium requiritur in ipso actu unionis, alias non suffragatur Rot. in Nucarina Paganorum Beneficii 6. Julii 1712. §. De hoc sanè, & §. Et quidem, coram R. P. D. Crispo, ibi = Possunt enim uniones, quæ cum consensu expleantur, ex superveniente consensu re convalidari, non sic verò uniones, quæ mediante consilio deputatorum perficiuntur, in quibus si consilium ab initio adhibitum non fuerit, de sui natura ex intervallo suppleri non potest, cum pro actus validitate omnino precedere necesse sit = Nec sufficit consensus Capituli; ut tuetur eadem Rota in dicta Nucarina Paganorum*
- Beneficii ubi supra §. Nec forma.*
24. Requiritur tertio, quod præcedat Taxa, seu dismembratio fructuum ipsius Cathedralis, & aliorum Beneficiorum Diocesis proportionabiliter, & si hoc non præcedat unio est nulla; *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 7. sub n. 25. vers. ac etiam. Turricell. de union. benef. cap. 9. num. 28. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 29. S. unic. num. 42. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 29. n. 61. Rot. decif. 32. n. 2. & 361. n. 7. par. 2. rec.*
25. Requiritur quarto, quòd Beneficia, quæ uniuntur, non sint S. Sedi Apostolicæ reservata, dum post Decretum Clementis VIII. hac de re editi, & confirmati ab Urbano VIII. Beneficia reservata, & S. Sedi affecta, Seminario uniri non possunt. *Fagnan. in cap. sicut unire de excess. Prælat. num. 49. Pignattell. consul. 81. num. 40. & seqq. tom. 9.*
26. Requiritur Quintò, ut Seminarium sit formaliter erectum. *Barbos. hic num. 11. & de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 77. n. 23. Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 29. num. 47. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 358. n. 5. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 25. num. 15. Pignattell. consul. 36. n. 4. tom. 8. Monacell. formul. legal. 1. tit. 12. num. 2. par. 1. Rot. dec. 361. num. 3. par. 2. & decif. 373. n. 2. par. 4. tom. 2. rec., & est sensus S. Congregationis Concilii in Lycien. unionis 16. Maji 1711., ubi declarata fuit nulla unio Ecclesiæ Sanctissimæ Annuntiæ Terræ Squintiani, facta ab Episcopo de Consilio Deputatorum, Seminario Lycien., eo quia fuerit sequuta ante Pueros introductos in Seminarium, & non citato Capitulo, seu Clero Squintiani, sub ejus administratione eadem Ecclesia existeret, & ex dispositione cujusdam fœminæ, quæ ante dictam Ecclesiam ex piorum fidelium eleemosynis collectis ædificavit, & sub administratione ejusdem Capituli; & ipsius Communitatis supposuit.*
27. Seminarium autem dicitur erectum, ad effectum validè ei uniendi beneficia, si fuerit conducta, vel empta domus, & introducti Pueri, electi Rectores Seminarii, & Consultores pro instituendis Taxis, & faciendis unionibus *Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 29. num. 51. Barbos. de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 77. n. 24. Turricell.*



*cell. de union. cap. 9. num. 27. Ventrigl. in prax. par. 2. dicta annot. 29. §. unic. n. 42. Rot. dec. 361. n. 5. par. 3. rec. & dec. 373. n. 9. & seqq. par. 4. tom. 2. rec.*

- 28 Unito autem beneficio simplici, aut unita auctoritate Apostolica Abbatia spectante ad Ecclesiam Collegiatam Seminario, cum omnibus suis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, hujusmodi unio, non solum comprehendit fructus, sed etiam Jurisdictiones, Præminentias, Collationes Beneficiorum, aliaque omnia jura, & illius vigore regimen, & manutentio ejusdem Ecclesie, nec non deputatio Sacristæ, & aliorum Ministrorum inferiorum, non amplius spectat ad Capitulum, sed ad Superiores Seminarii, qui non tenentur illos eligere de gremio Capituli; ut resolutum fuit à S. Rota in *Neapolitana Unionis, & in alia super Deputatione Ministrorum*
23. Junii 1710. cor. Reverendissimo Molines, hic immediatè legen.

Rmo MOLINES DECANO

Neapolitana Unionis.

Luna 23. Junii 1710.

**A**D sedandas multiplices controversias dudum exortas, & diuturno tempore agitatas inter Archiepiscopos Civitatis Neapolitanæ, & Rectores, seu Abbates nuncupatos Collegiatæ, & Parochialis Ecclesie Sancti Joannis Majoris ejusdem Civitatis nedum super exemptione Rectoriæ à Jurisdictione Archiepiscopi, & jurisdictione activa in Hebdomadarios dictæ Ecclesie, quàm privativè ad Archiepiscopum ad se spectare contendebat Rector, seu Abbas, verùm etiam super regimine dictæ Ecclesie, ac super collationibus Beneficiorum, ac denique super jure instituendi præsentatos ad Beneficia de jurepatronatus in eadem Ecclesia fundata. Anno 1584. stipulata fuit inter Partes concordia in forma specifica subindè per Sanctam Sedem confirmata, juxta quam declaratum extitit, ut tam Rector, quàm Hebdomadarii deberent esse subjecti Jurisdictioni Archiepiscopi, quodque ad Rectorem, seu Abbatem spectaret in mensibus Sedi Apo-

stolicæ non reservatis conferre Hebdomadarias, aliaque dictæ Ecclesie Beneficia, ita tamen, ut collationes præsentari deberent Archiepiscopo ad hoc, ut Collatarii ab ipso idonei judicarentur; quo verò ad Beneficia jurispatronatus in dicta Ecclesia fundata concordatum fuit, quod per Curiam Archiepiscopalem proponi deberet Edictum, formari processus, & sententia ferri tam super præsentatione, quàm super cognitione Jurispatronatus, & quod præsentati pro habenda institutione remitti deberent ad Abbatem, ad quem spectaret illos instituere: ac denique concordatum fuit, quod Rector, seu Abbas prædictæ Ecclesie S. Joannis, qui pro tempore fuerit, pro recto cultu, & debito Ecclesie servitio tantum, ac nomine, & vice Domini Archiepiscopi tanquam ejus Officialis perpetuus habere deberet regimen dictæ Ecclesie, & quidem cumulativè, non autem privativè quoad ipsum Archiepiscopum cum potestate Rectori, seu Abbati tributa ordinandi, & demandandi Hebdomadariis, Primicerio, Sacristæ, & Beneficiatis, ac deservientibus aliis omnibus ea, quæ pro debito ejusdem Ecclesie regimine necessaria, & opportuna judicaverit etiam sub pœnis corporalibus, & pecuniariis per Archiepiscopum, ejusque Curiam exequendis; prout latius ex tenore ejusdem concordie *Summario Seminarii n. 1.*

Anno 1692. Primicerius dictæ Parochialis Ecclesie unà cum tresdecim Hebdomadariis ejusdem exposuerunt fa. me. Innocentio XII. quod licet eorum Ecclesia ex pluribus signis etiam sæcularis, & Collegiata esse crederetur; attamen quia propter temporis diuturnitatem hujusmodi erectio in sæcularem, & Collegiatam Ecclesiam probari nequibat; idè ad tollendum omne dubium super tali erectione petierunt, ut dicta Ecclesia S. Joannis Majoris in sæcularem, & Collegiatam Ecclesiam Apostolica auctoritate erigeretur, & Summus Pontifex eorum precibus annuendo dictam Ecclesiam in Collegiatam erexit constituendo Primicerium Primam Dignitatem, & tresdecim Hebdomadarios in totidem Canonicatus erigendo cum clausula tamen, ibi *≡ Sine alicujus, & præsertim dilecti filii nostri Joannis Pauli Ginnetti, qui perpetuum simplex,*



plex, & personalem residentiam non requirens Beneficium Ecclesiasticum Abbatiam nuncupat. in dicta Ecclesia Collegiata erigenda obtinet, præjudicio.

Cupiens successivè idem sa. me. Innocentius XII. providere Seminario Alumnorum Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ, à cujus inopia, & reddituum tenuitate sæpè sæpiùs angebatur, dum nunquam satis commendata pastorali vigilantia Ecclesiæ Neapolitanæ præerat, & ejusdem Seminarii redditus augere intendens ad ampliorem Clericorum numerum inibi alendum, respiciens ad prædictam Abbatiam, seu Rectoriam Collegiatæ S. Joannis Majoris tunc à R. P. D. Joanne Paulo Ginnetto utriusque Signaturæ Referendario possessam, motu proprio devenit ad illius unionem favore Seminarii his verbis = *Motu proprio Abbatiam, seu Rectoriam &c. cum primum illa per cessum, vel decessum vacare contigerit &c. prævia ex nunc, prout ex tunc, & è contra illius tituli collativi suppressione, vel extinctione cum omnibus suis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, & pertinentiis, nec non quibuscumque Bonis ubique existentibus &c. etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contra dicto Seminario &c. Apostolica auctoritate tenore præsentium unimus, annectimus, & incorporamus.*

Secuto obitu R. P. D. Ginnetti dictæ Rectoriæ, seu Abbatæ Possessoris de Anno 1708. Rector, & deputati Seminarii unà cum Vicario Generali Eminentissimi Archiepiscopi prævia publicatione prædicti motus proprii unionis à sa. me. Innocentio XII. factæ, apprehenderunt possessionem Rectoriæ, ac illius fructuum, reddituum, proventuum, jurium, bonorum, obventionum, pertinentiarum, & emolumentorum quorumcumque, & in sequelam ejusdem motus proprii, & possessionis hujusmodi deputarunt Sacristam in præfata Ecclesia S. Joannis Majoris cum onere etiam exigendi redditus, & emolumenta ad Abbatiam spectantia.

Reclamavit ab hujusmodi deputatione Capitulum Collegiatæ S. Joannis Majoris ad Eminentissimum Archiepiscopum, qui auditis Partium prætensionibus, & voto jurisperitorum Romanæ Curie amicabiliter dictas controversias sedare cu-

ravit cum acquiescentia Capituli Collegiatæ, donec occasione deputationis alterius Sacristæ in locum primi, qui oneri suo renunciaverat, suscitatis iterum difficultis inter Rectorem, & deputatos Seminarii, nec non Capitulum Collegiatæ S. Joannis Majoris, illisque delatis ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, coram Eminentissimo D. Cardinali Fabrono Ponente causæ concordata fuerunt inter Partes sequentia dubia.

29 Primò: *An unio Abbatæ S. Joannis Majoris Neapolis facta Seminario comprehendat solum fructus, vel etiam jurisdictiones, Præminentias, collationes Beneficiorum, aliæque omnia jura.*

Secundò: *An illud regimen, & manutentio Ecclesiæ, quæ spectabant ad Abbatem, de presenti spectent ad Capitulum ejusdem Ecclesiæ privativè ad Superiores Seminarii.*

Tertiò: *An Sacrista, aliique Ministri inferiores, qui deputabantur ab Abbate, sint deputandi à Capitulo, vel potius à Superioribus Seminarii, & quatenus electio spectet ad Superiores Seminarii.*

Quartò: *An teneatur illos eligere de Gremio Capituli?*

30 Quibus dubiis per Eminentissimum Ponentem propositis die 22. Novembris superioris anni prodiit resolutio favore Seminarii mediante rescripto. *Ad primum negativè quoad primam partem, affirmativè quoad secundam; Ad secundum negativè; Ad tertium negativè quoad primam partem, affirmativè quoad secundam; Ad quartum negativè.*

31 Obtenta verò nova Audientia per Capitulum Collegiatæ S. Joannis Majoris, & reposita causa in eadem Sacra Congregatione sub die 20. Martii præteriti super eisdem dubiis, nulla capta resolutione rescriptum extitit exquiratur votum Rotæ; Quo circa subscriptis duobus dubiis complexivis totius controversiæ unà cum altero ex illis concernente deputationem Ministrorum, de quo in alia contemporanea decisione disceptandum proposui Dominis meis: *An unio Abbatæ S. Joannis Majoris facta Seminario post erectionem Ecclesiæ Parochialis in Collegiatam comprehendat solum temporalia, & fructus Abbatæ, vel etiam jurisdictionem, præminentias, collationes Beneficiorum, aliæque jura, quæ olim competeabant Abbati*  
in



in statu Ecclesie Parochialis; & habui responsum: Unionem Abbatia, non comprehendere solum temporalia, & fructus Abbatia, sed etiam Jurisdictiones, præminentias, collationes Beneficiorum, aliaque jura, quæ olim competeabant Abbati in statu Ecclesie Parochialis.

32 Ratio sic decidendi desumpta fuit ex qualitate unionis, in præsentem enim patet, unionem Abbatia S. Joannis Majoris factam per san. mem. Innocentium XII. Seminario ejusdem Civitatis fuisse subjectivam, incorporativam, & cujuslibet antiqui tituli penitus extinctivam, dum Summus Pontifex expressè declaravisse perpetuè unire, annectere, & incorporare Abbatiam prædictam cum omnibus suis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, & pertinentiis, in quibus terminis certum est unionem dici debere subjectivam, & tituli extinctivam ex communiter animadversis per Angel. conf. 147. *vers. sed uti fiat unio, Pax Jordan. elucubr. lib. 10. tit. 32. num. 11. Hoied. de incompatibilitate benef. par. 2. cap. 3. sub num. 3. Garz. de Benef. par. 11. cap. 2. num. 51. & num. 55. & 56. Barbaf. de offic. & potest. Episc. alleg. 61. num. 23. & seqq. Murga de Benef. quæst. 4. sect. 6. num. 197. & seqq. Rota decis. 30. num. 1. par. 6. decis. 49. num. 1. & per tot. par. 15. decis. 421. n. 7. cor. Bich. decis. 320. num. 1. coram Emerix Jun. in Reatina unionis 25. Junii 1708. S. De unione, coram R. P. D. meo Scotto, & in Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesie 8. Martii 1709. S. Quamvis, cor. eodem.*

33 Posito autem, quod unio, de qua agitur esset subjectiva, incorporativa, ac præcedentis tituli extinctiva; in planam consequentiam descendere videbatur, quod illa comprehenderet non solum temporalia, & fructus, sed etiam Jurisdictiones, præminentias, collationes Beneficiorum, aliaque jura, quæ olim Abbati ante unionem competeabant. Hujusmodi enim generis unio subjectiva, & incorporativa suapte natura omnia jura tam temporalia, quam spiritualia antiquo Possessori Beneficii uniti competentia, transfert in Ecclesiam, cui Beneficium ipsum unitur ad tradita per Turricell. de union. Benef. cap. 4. n. 11. Rebuff. in prax. tit. de unionib. n. 49. num. 9. Ricc. in colle-

ctan. decis. collect. 869. Garz. de Benef. par. 12. cap. 4. num. 34. Rot. coram Seraph. decis. 1009. n. 4. ibique Adden. litt. A. cor. Arguell. decis. 34. num. 20. coram Emerix Jun. dec. 320. n. 1. in rec. dec. 710. sub n. 2. part. 2. decis. 31. num. 17. par. 10. decis. 49. num. 8. par. 15. dec. 321. num. 1. par. 19. in dicta Reatina unionis 25. Junii 1708. S. De unione, & S. Posta, cor. R. P. D. meo Scotto, & in dicta Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesie 8. Martii 1709. dicto S. Quamvis, cor. eodem.

Idque adeò verum est, ut in translatione jurium spiritualium resultante ex hujusmodi unione subjectiva, & tituli extinctiva comprehendatur etiam in favorem Ecclesie, cui Beneficium unitur, jurisdictionis, & jus visitandi antea competens Reçtori Beneficii uniti, jus conferendi Beneficia, exigendi decimas, eligendi, & præsentandi, nominandi Vicarios, & similia; ut de jure visitandi plena est decisio 304. coram Ludoviso de jure conferendi Beneficia Pignat. consult. 136. n. 4. & 5. tom. 1. Rot. dec. 257. num. 1. par. 3. coram Zarat. decis. 23. num. 24. & post Card. de Luca ad mater. de Benef. dec. 27. num. 19. de jure exigendi decimas eadem Rot. decis. 320. num. 1. & 3. cor. Emerix Jun. de jure eligendi, & præsentandi Rot. dec. 102. n. 1. par. 11. recen. in Cracovien. Monasterii 4. Decembris 1699. S. Maximè, coram Eminentissimo D. meo Card. Caprara, ac demum de jure nominandi Vicarios Turricell. de union. cap. 4. n. 53. Rot. in Tarraconen. Parochialis de Vimbodino 15. Januarii 1706. S. Avulso, coram R. P. D. meo Anfaldo, & in Leodien. Beneficii 25. Februarii 1707. S. Scorsin, coram eodem.

35 Quæ quidem incontrovertibilia juris principia, eò certius visa sunt procedere debere in præsentem hypothese, in qua Summus Pontifex in literis Apostolicis unionis motu proprio concessis, non solum usus est verbis, *unimus, annectimus, & incorporamus* de per se aptis importare unionem subjectivam, ac tituli extinctivam, ac per consequens translationem quoruncumque jurium licet spiritualium ex autoritatibus supra allegatis, sed ulterius adiecit amplissimam, & universalem clausulam *cum omnibus suis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, adjacentiis, & pertinentiis*; sub cujus concessio-

nis



nis generalitate, nemo est, qui dubitet comprehendi jurisdictiones, præminentias, omniaque alia jura incorporalia, & spiritualia, quæ ad Abbatiam unitam spectabant, & pertinebant juxta doctrinam Innocent. in cap. quo ad sedem n.2. vers. & dic quod pertinentiarum nomen de restit. spol. Rot. coram Zarat. dec.23. num.21. & seqq. coram Emerix Junior. decis.320. n.3. in rec. dec.710. n.3. par.2. decis.352. n.8. par.4. dec.207. num.11. par.6. decis.102. n.14. par.11. decis.809. num.10. par.18. decis.321. n.2. par.19. & in dicta Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesie 8. Martii 1709. S. Quamvis, coram R.P.D. meo Scotto.

Non subsistente, quod cum ante unionem, de qua agitur, Summus Pontifex immutasset statum Ecclesie S. Joannis Majoris de Parochiali in Collegiatam, constituendo ibi novum caput, scilicet Primicerium, utique extinctæ remanserint omnes prærogativæ spirituales, jurisdictiones, & præminentie olim competentes Abbati in statu Parochiali, ac per consequens unio subsecuta Abbatie transferre non potuerit in Seminarium nisi ejus redditus, & Bona temporalia, non autem jurisdictiones, & prærogativas per mutationem Status Ecclesie transfusas in novum caput. Objectum quippe nullam visum est habere subsistentiam in facto, nec relevantiam in jure; In facto quidem, quia de tempore initæ concordie inter Archiepiscopum, & Abbatem, nempe anno 1584. jam dicta Ecclesia reperiebatur in statu Collegialitatis, ut patet ex ipsa concordia, & ex Apostolica confirmatione desuper subsecuta. Et quamvis Summus Pontifex de anno 1692. ad tollendam quamcumque ambiguitatem, quæ circa qualitatem Collegialitatis dictæ Ecclesie ob temporis diuturnitatem oriri posset, illam in Collegiatam erigere professus fuerit; Id tamen non egit per viam plenariæ innovationis, seu permutationis, sed potius per viam declarationis, ut clarè continebat petitio eidem Summo Pontifici exposita per Primicerium, & Hebdomadarios, ut patet ex tenore Bullæ erectionis d. Summ. Seminarium num.3., quæ declaratio in substantia nihil de novo addit, sed simpliciter ostendit, quid jam per antea factum

erat ad Text. in leg. heredes palam S. Si quid ff. de Testam., & tradita per Decian. cons.2. num.10. Gratian. disceptat. for. cap. 464. num.19. Cartar. decis.16. num.19. Rota in rec. decis.453. n.2. par.1. dec.159. n.15. & decis.393. n.6. par.15. & dec.16. n.6. & seq. par.17.

37 Minusque relevabat in jure supradictum objectum quia præterea erectio Ecclesie S. Joannis Majoris in Collegiatam facta fuit cum clausula præservativa sine alicujus, & præsertim Dilecti Filii nostri Jo: Pauli Ginnetti (qui tunc erat Abbas) præjudicio, quæ quidem clausula operabatur; ut per supradictam erectionem in aliquo diminui non possent jura Abbatie, & Abbatum pro tempore jurisdictio, ut firmant Lotter. de re benef. lib.1. quest.40. n.278. Rot. coram Puteo dec.291. num.17. lib.1. in rec. dec.435. n.9. par.18. dec.171. pariter n.9. par.19. & in Romana Fidei commissi Mutii de Bubalo 18. Junii 1700. S. fin. coram Reverendissimo Domino meo dell' Olmo Episcopo Conchen. Frustrà autem clausula prædicta restringi contendebatur ad vitam R.P.D. Ginnetti tunc Abbatum, ex quo Papi illum nominatim expresserit in Bulla. In illa etenim non solum fit mentio præjudicii R. P. D. Ginnetti, sed cujuscumque alterius personæ, ibi sine præjudicio alicujus, & præsertim &c. Et in omnem casum, cum præservativæ jurium adiecta fuerit favore R.P.D. Ginnetti veluti Abbatialem dignitatem obtinentis, palam exinde fit, quod eadem clausula prolata fuerit ad præservanda jura non personalia dicti Ginnetti, sed ipsius Abbatie, quodque illius nomen expressum fuerit demonstrativè dumtaxat ad designandum, quis eo tempore eandem Abbatiam possideret, exemplo Rectoris contrahentis nomine Beneficii, qui quamvis proprium nomen expendat, contrahere tamen dicitur nomine Ecclesie, & contractus sic initus eidem Beneficio, seu Ecclesie adscribitur, illamque etiam post Rectoris mortem afficit, ut inquit Card. de Luc. de locat. & conduct. sub num.2. vers. aut agitur, Rot. in rec. dec.75. n.4. & seqq. par.11.

Prout nec obstare potuit, quod Summus Pontifex in præfata erectione Ecclesie in Collegiatam, Primiceriatum jam antea existentem in principalem, & unicam digni-



gnitatem ejusdem Collegiatae crederet cum facultate in actibus quibuscumque capitularibus praesentandi, & praeminentiam habendi, ut proinde dicendum sit, quod abstulerit Abbati omnia jura praeminentialia, & jurisdictionalia, quae olim ei competeabant in antiquo statu Parochialitatis, illaque transferre voluerit in dignitatem noviter erectam, cum in una eademque Ecclesia non possint dari duo capita. Etenim praedicta erectio Primiceriatus in dignitatem principalem, & unicam valuit quidem tribuere eidem Primicerio jurisdictionem, & praeminentiam coherentem primae Dignitati, ac jus monendi, & corrigendi oretenus Canonicos, & alios de Choro, prout in specie hujus Primicerii definitur Congregatio Sacrorum Rituum in decretis exhibitis, in *Summ. Additionali Seminarii Num. 1.*, nunquam vero importare potuit acquisitionem jurisdictionis jam competentis Abbati, quae non obstante asserta nova erectione in suo esse remansit; ut enim in mutatione Status Ecclesiae extinguantur jurisdictio, & Privilegia alicujus, & in novum caput pertranscant, opus est, quod illa sint penitus incompatibilia cum statu immutato, ut docet *Rot. coram Seraphin. dec. 1444. n. 10. & coram Emerix jun. dec. 1029. n. 5.*, nulla autem considerabilis erat incompatibilitas inter jurisdictionem concessam novo capiti, & alteram jam competentem Abbati; Illa enim resolvebatur in correctionalem non nisi quam oretenus exercendam, ut ex praecitatis decretis Sacrae Congregationis Rituum: haec vero exercebatur per Abbatem tanquam Officiale perpetuum Archiepiscopi, illiusque nomine, ac vice, & quidem cumulativè, non autem privativè ad normam concordiae anni 1584. unde quemadmodum nulla implicancia, nullaque monstruositas assignabilis esset, si Archiepiscopus ordinariam jurisdictionem, quam habet in eadem Ecclesia, exerceret, vel personam alteram in suum Vicarium, & Officiale praeligeret, qui recto ejusdem Ecclesiae regimini praeset, ita nullum inconveniens assignabile erat ex eo, quod Abbas tanquam perpetuus Officialis Archiepiscopi juxta tenorem concordiae compatibiliter cum jurisdictione correctionali novo capiti assigna-

Part V.

ta, potiretur sua jurisdictione in diversa specie, quae jurisdictiones non implicant inter se, neque praeserunt monstruositatem duorum Caputum, ut in consimilibus terminis circa compatibilitatem jurisdictionis correctionalis in levibus, & ordinariae, ac supremae dictum fuit in *Derthusen. jurisdictionis super gravibus 4. Martii 1692. coram ho. me. Pio, & in Derthusen. jurisdictionis 18. Junii 1696. cor. eodem.*

39 Firmo itaque manente, quod ante unionem Abbatiae factam Seminario omnia jura ejusdem Abbatiae spectarent ad Abbatem, & per assertam mutationem Status Ecclesiae translata non fuerint in Primicerium, tanquam novam Dignitatem inibi erectam, recurrebant semper praemissa fundamenta, quod per subjectivam Abbatiae unionem factam favore Seminarii omnia jura tam temporalia, quam spiritualia eidem Abbatiae competentia, sicque tam jurisdictio, quam jus conferendi, & eligendi in idem Seminarium transfusa fuerint, ut supra probatum est à *S. Postio autem cum seqq.*

40 Nullatenus officiente, quod unio facta legatur praevia extinctione, ac suppressione tituli Abbatialis, ibi = *praevia extinctione, prout ex tunc, & contra illius tituli collativi suppressione, & extinctione*, quae suppressio operatur, ut Beneficium, quod unitur, amittat omnes praerogativas, & jura personalia, quae habebat, & assumat privilegia, & jura Ecclesiae, cui facta est unio. Quamvis enim verum sit, quod inter plures effectus, quos producit unio subjectiva, & extinctiva tituli, connumeretur ille extinctionis, & amissionis omnium praerogatarum, & privilegiorum quoad ipsum Beneficium, ex quo non existit Beneficiatus, qui illis frui, & gaudere possit, ex hoc tamen non sequitur, quod dictae praerogativae, & privilegia taliter per beneficium, seu dignitatem suppressam deperdita sint, ut de medio penitus sublata, seu extincta remanserint: Concors enim, ac ubique recepta sententia est, quod praedicta jura, quae in ipsa dignitate, seu titulo per unionem extincto consistere amplius non possunt, & quae proinde per unionem subjectivam, & extinctivam tituli pereunt quoad ipsum Beneficium unitum; Non tamen pereunt

R quoad



quoad Superiorem Monasterii, Seminarii, seu alterius Loci, cui facta fuit unio, in quem jura Beneficii uniti transeunt, & transfunduntur, ut præcæteris absque contradictore concludunt, *Murga de Benef. quæst. 4. divis. 5.*, qui postquam sub n. 160. & 162. pro primo, & secundo effectu talis unionis adduxit extinctionem, & suppressionem tituli Beneficii uniti, illiusque prærogativarum, & privilegiorum cum successiva assumptione prærogativarum, & qualitate Beneficii principalis, cui facta fuit unio, transeundo ad tertium effectum sub n. 165. ita inquit = *tertius effectus unionis est, ut omnia emolumenta, actiones, & jura Ecclesie accessorie per viam incorporationis, & ad mensam unitæ ad Ecclesiam principalem, cui fuit unita, pertineant, & transeant.* Garz. de Benefic. par. 12. cap. 2., qui pariter postquam sub n. 18., enunciavit Beneficium unitum omnes suas prærogativas amittere num. 39. subdit = *per istam tamen unionem omnia emolumenta Beneficii uniti transeunt in Ecclesiam, cui facta est unio, & ad eam pertinent, & cum ipsis concordant modernus Roman. discept. Eccles. 9. num. 3. Barbof. de offic. & potest. Episcop. alleg. 66. num. 38. Alden. ad Gregor. dec. 304. litt. A. Rota coram Seraphin. dec. 1009. num. 4. in recent. dec. 710. num. 2. par. 2. dec. 49. n. 7. par. 15. dec. 809. n. 9. par. 18. tom. 2. & in Savonen. Restaurationis Ecclesie Parochialis 8. Martii 1709. S. Quamvis, coram R. P. D. meo Scotto.*

Nec momenti visum est, quod Summus Pontifex tam in præcæmio, quam in dis-  
 41 positiva Bullæ unionis declaravit intentionem suam esse; ut mediante unione sublevaretur, paupertas Seminarii, & augeri possent ejus redditus temporales, ibi = *mente revolvebamus, quod subsidiis redditus prædictos augere possemus ad ampliore[m] Clericorum numerum inibi alendum* = & inferius, ibi = *dicto Seminario, illiusque manutentioni, & incremento, & augmento numeri alumnorum* = & rursus in fine, ibi = *sed tanquam pro manutentione, & augmento Alumnorum dicti Seminarii* = unde cum præeminentia, & jurisdictiones, de quibus agitur, nihil commune habeant cum augmento reddituum temporalium Seminarii, & ampliacione numeri ejus Alumnorum; dicendum pro-

fectò veniat, quod ipse Summus Pontifex voluerit solum facere unionem fructuum, ac reddituum temporalium Abbatia, non autem jurisdictionum, & præeminentiarum: Quoniam tametsi causa prædicta occurrendi indigentis Seminarii Pontificis animus impulerit ad unionem faciendam, illaque fuerit etiam in narrativa exposita: Cum tamen unio facta appareat de Abbatia subjectivè, & accessorie unà cum omnibus illius juribus, adjacentiis, & pertinentiis, præfata causa impulsiva restringere, ac coarctare non valuit dispositivam, quæ ex vi, & efficacia unionis prædictæ omnia etiam spiritualia comprehendit, non enim narrativa tantum dispositionis, sed ejusdem dispositionis conclusio attendi debet ex collectis per *Murg. in addit. ad dec. 4. impress. post tractat. edit. in Constit. Apost. n. 26. Rota post ipsum dec. 5. n. 9. & dec. 5. in rec. decis. 49. num. 8. par. 15. & in Vicen. Parochialis, seu Vicaria 24. Novembris 1694. S. Sicuti, coram bo. me. Muto.*

42 Nullius denique efficaciam visa est Dominis animadversio, quod in Elogio, seu marmoreo monumento inscripto super Ostio Seminarii enunciatur eidem Seminario ex Abbatia Sancti Joannis Majoris indulgentia sa. me. Innocentio XII. acquisitum fuisse opulentissimum censum, nulla facta mentione jurium, & præeminentiarum. Hujusmodi namque enunciativa per Elogii compositorum laconicè facta in prædicto marmoreo monumento, quamvis principaliter referatur ad fructus, nullamque facit mentionem jurium, & præeminentiarum, ad nihilum tamen conferre valuit pro stabilienda comprehensione, vel exclusionem jurium spiritualium in unione prædicta, resistente semper vulgari regula, quod quis in pluralitate jurium sibi competentium, illorum aliquod enunciando, vel allegando, cæteris nequaquam renunciare dicitur, minusque illorum incompetentiam fateri juxta monitum, *Rot. coram Cerro dec. 97. num. 29. coram Dunozett. jun. decis. 79. num. 12. & dec. 96. n. 10. & in rec. dec. 9. n. 20. par. 19.*

Et ita post habitis reliquis exceptionibus minoris relevantiæ, in acerrima Partium digladiatione conclusum fuit.

R. P. D.



Rmo MOLINES DECANO

Neapolitana Unionis super deputa-  
tione Ministrorum.

Luna 23. Junii 1710.

43 **U**Na cum dubio contemporaneè propo-  
posito super comprehensione Ju-  
rium, & præminentiarum in unione Ab-  
batix S. Joannis majoris Civitatis Nea-  
polis facta per san. mem. Innocentium XII.  
Seminario Alumnorum Metropolitanæ  
Ecclesiæ ejusdem Civitatis, de quo in al-  
tera decisione hodie coram me edita,  
consului pariter Dominos meos super al-  
tero dubio respiciente deputationem Mi-  
nistrorum, *An Sacrista, aliique Ministri  
inferiores, qui deputabantur ab Abbate, sint  
deputandi à Capitulo, vel potius Superiori-  
bus Seminarii, & quatenus electio spectet  
ad Superiores Seminarii teneantur illos eli-  
gere de gremio Capituli, & prodiit resolu-  
tio Electionem spectare ad Superiores Semi-  
narii, & illos non teneri eligere de gremio  
Capituli.*

44 Quo enim attinet ad primam dubii par-  
tem circa electionem activam Sacristæ,  
aliorumque Ministrorum inferiorum,  
nempe Organistæ, Clericorum pro servi-  
tio Ecclesiæ, & similium, pro servi-  
tio Domini illorum activam electionem spe-  
ctare ad Superiores Seminarii, quia si jus  
illos deputandi, & eligendi antiquitus  
spectabat ad Abbatem, de plano seque-  
batur, quod per subjectivam unionem  
Abbatix Seminario factam idem jus de-  
putandi, & eligendi una cum aliis juribus  
Beneficio unito competentibus pertrans-  
ierit, & translatum fuerit in Superiores  
Seminarii, cui facta fuit unio, ut probat  
altera decisio S. *Posita autem cum seqq.*

Certiùs autem, quia per supradictam  
unionem Abbatix Seminario factam, in  
illud non solum translata fuerunt jura  
præminentialia, & honores Abbati com-  
petentes, sed etiam onera eidem Abbati  
infixa solvendi scilicet salarium Sacristæ,  
aliisque prædictis Ministris inferioribus,  
& subministrandi paramenta, & vasa sa-  
cra, aliaque omnia necessaria pro Divi-  
norum celebratione, ut proinde omnis

45 justitiæ, ac æquitatis ratio postulet, quod  
Pars V.

si Seminarium subit onus, & incommo-  
dum dictarum expensarum, & manuten-  
tionis Ministrorum, frui quoque debeat  
commodo deputationis eorundem ad  
*Text. in l. secundum naturam ff. de reg. Ju-  
ris cum concordantibus adductis per Gra-  
tian. discept. foren. cap. 374. num. 21. Surd.  
de aliment. tit. 6. quest. 11. nu. 20. & seqq.  
Fontanell. de pactis nupt. claus. 6. gloss. 2.  
part. 3. num. 11. Rota decis. 1222. num. 6.  
coram Emerix jun.*

Non relevante, quod Summus Ponti-  
fex Innocentius XII. san. mem., in Bulla  
erectionis Ecclesiæ S. Joannis Majoris in  
Collegiatam concessit facultatem Capi-  
tulo condendi statuta circa administra-  
tionem bonorum spiritualium, & tempo-  
ralium cum jure deputandi, & amovendi  
Officiales, & Ministros, ut patet ex illis  
verbis *Et modernis, & pro tempore exi-  
sistentibus Primicerio, & Canonicis &c. ut  
pro Collegiata Ecclesiæ, & illius Primicerii,  
& Canonicorum Mensæ Capitularis, Sacri-  
stia, illarumque omnium rerum, & bono-  
rum &c. prospero, & felici regimine, gu-  
bernio, & directione &c. Officialibus, &  
Ministris Collegiata Ecclesiæ per præsentis  
erectionis necessarios deputandis, & amovendis  
servitiis, & Ministris per ipsos obeundis,  
quæcumque statuta, ac ordinationes, capi-  
tula, & decreta licita tamen, & honesta,  
ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini,  
& Constitutionibus Apostolicis minimè con-  
traria, & per Ordinarium priùs examinan-  
da, & approbanda edendi.*

Quandoquidem ex prædictis verbis so-  
lum resultat, quod Capitulo tributa fuit  
facultas condendi statuta super admini-  
stratione bonorum Mensæ Capitularis,  
Primicerii, & Canonicorum, & deputan-  
di Ministros Sacristiæ spectantis ad ipsum  
met Capitulum, & Canonicos, sub ea ta-  
men lege, ut dicta statuta non deberent  
esse contraria Sacris Canonibus, Sacro  
Concilio Tridentino, & Constitutioni-  
bus Apostolicis, quodque deberent con-  
firmari, & approbari ab Ordinario, in  
præfenti autem casu non agebatur de ap-  
probatione statuti facti à Capitulo, nec  
deputatione Ministrorum pro admini-  
stranda, & gubernanda Mensæ Capitula-  
ri, & bonis Primicerii, & Canonicorum,  
sed quæstio vertebatur circa deputationem  
Sacristæ, qui curam habere debeat

R 2 de



de paramentis sacris, aliisque rebus necessariis ad Divinum cultum subministrandis per Seminarium, & circa deputationem aliorum Ministrorum pro gubernio eorum, quæ spectant ad dictum Seminarium, in quibus terminis cessare visa est facultas Capitulo tributa eligendi Ministros, ut in simili dictum fuit in *decis. 1083. per tot. coram Emerix junior.*

46 Deveniendò ex his ad electionem passivam in omnem casum prætenfam per Capitulum, resolutum fuit *Superiores Seminarii non teneri eligere Ministros de gremio Capituli*: qui enim habet à jure facultatem eligendi, seu nominandi non coarctatur ad certum genus personarum, sed potest semper quemcumque sibi magis beneficium eligere, seu deputare, ut moment *Gutier. practic. quæst. lib. 2. quæst. 67. nu. 3. Castill. contro. tom. 5. cap. 67. nu. 4. & 6. Rota coram Emerix jun. decis. 762. num. 4. & seqq. & in rec. decis. 96. nu. 17.*

*par. 17.* Idque quoad electionem, & deputationem Sacristæ conforme etiam erat dispositioni Cæremonialis Episcoporum *lib. 1. cap. 6. ibi = Assumendus autem est de gremio ipsius Ecclesiæ, vel aliunde, prout magis expedire videbitur, nec adversari videbatur decisio 645. nu. 2. & seqq. coram Seraphino*, in qua firmatur, quod cum regimen Ecclesiæ pertineat ad Capitulum, ideo deputatio Ministrorum faciendâ sit ab eodem Capitulo de gremio Capitulari, quia prædicta decisio fundatur in consuetudine, ut ex lectura. Unde potius retorqueri potuisset, quia si in præsentî deputatione Ministrorum, semper fieri consuevit ab Abbate quoad personas sibi benevitas; Ita pariter nunc faciendâ videtur ad libitum Superiorum Seminarii, in quod per sæpeditam unionem subjectivam transfusa, & incorporata fuerunt omnia jura eidem Abbati competentia.

Et ita utraque &c.

## C A N O N VII.

### CONCILIUM TRIDENTINUM *Sess. XXIV. Cap. III.*

**P**atriarchæ, Primate, Metropolitanæ, & Episcopi propriam Diocesim per se ipsos, aut si legitimè impediti per suum generalem Vicarium, Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant: Et infra. Patroni verò in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat; sed Episcopi ipsi hæc faciant, & fabricarum redditus in usus Ecclesiæ necessarios, & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.